



~~947~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59

SIGNAT. MDCCCXIII.

Q. B. V. D.
QVÆSTIONUM METAPHYSICARUM

Qvaternio.

Quem
In Illustri ad Albim Academia

Sub

PRÆSIDIO

Præclarissimi atq; Excellentissimi

DN. M. CHRISTIANI TRENTSCHII,

Logicæ & Metaphysicæ Profess. Publ. longè Cele-
berrimi, Domini Præceptoris, Patroni ac Pro-
motoris omni Observantiæ Cultu
æviternùm prosequendi.

*Publicæ ac placidæ Eruditorum disquisitioni
exponit,*

ABRAHAMUS PINNERIUS, Novisol. Hungarus.

A. & R.

Ad diem XVII. Aprilis

In Auditorio Majori.

TYPIS JOHANNIS HAKEN, Anno c^o l^o LVIII.


35

h. III. 2043



IN NOMINE JESU!

Præfamen.



*Non est ulla in universa Philosophia scientia cujus major sit utilitas atq; necessitas, ad quarumvis rerum cognitionem, ac Metaphysica. Nemo etiam, (ut arbitror) inveniendus, qui modo naturã Metaphysicorum principiorum delibaverit, ejus utilitatem, ac necessitatem confiteri, non necessum habeat: cum ipse Philosophorum Princeps Aristoteles, eam, & scientiam cum capite, & Dominam & principem, & Reginam scientiarum omnium salutet. Siquidem nulla earum, ad veri cognitionem, nisi in subsidium acceptã generalissimorum terminorum, quos Metaphysica explicat, declaratione, pervenire potest. Munia insuper varia ipsi tribuuntur, ut, quod intellectum nostrum multã arugine obductum lydio quasi lapide purificet, eumq; in communissima rerum cognitione, perficiat, atq; prima principia demonstret. Quod cum Metaphysica præstet, quis amore ac studio planè singulari, erga eam non incitaretur? quis huic totam suam vitam non consecraret, cum sit omnis eruditionis principium, fundamentum atq; præsidium? Cum itaq; res ita comparata sit, nos quoq; flagrantissimus pulcherrima hujo scientie amor teneat, præsentibus quatuor quæstiones in disputatoriam exercitiij gratia produci-
mus palestram.*

Adsta Pater optime cæptis!

QVÆSTIO I.

Quodnam sit objectum Metaphysices?

Cum disciplina nihil aliud sit, quam objecti sui coram mente representatio, non præter rem nos omnino facturos

A 2

ros

ros arbitramur, si nobilissimæ, juxta ac difficillimæ huic
quæstioni operæ paululum ac temporis impenderimus. De
Subjeto igitur Metaphysices quando *queritur*, tum non in-
telligitur *subjectum inhesionis*, quale est intellectus omni-
um scientiarum; nec etiam *predicationis*, quod est prior
pars enunciationis, sive propositionis; sed *tractationis* seu
considerationis. Non loquimur etiam de *objecto qualicunq[ue]*
tali, & partiali seu *inadequato*, quod in disciplina tanquam
pars vel *affectio*, vel *indirectè* explicatur: Sed de *objecto*
totali, adæquato, & quod disciplinæ exhaurit latitudinem.
Fuerunt nonnulli, qui dixerunt *subjectum Metaphysices*
esse solum Deum; quæ opinio est Alberti in *Præfat. Met.* Ve-
rum enim verò hæc opinio est erronea: Nam si Deus po-
natur *subjectum Metaphysices* remanet difficultas de En-
te, quænam scientia tractet de Ente simpliciter & indifferē-
ter, ac prout quasi præscindit à Creato & increato. Deinde
Metaph. quæ discursu naturali procedit non attingit Deū,
prout in se est, sed quantum ex creaturis lumine naturali
intellectus humani manifestari potest: quare nulla esse
potest scientia naturalis, quæ Deum attingat, & respiciat,
ut adæquatum *objectum*, quia ratio, sub qua attingitur, est
semper communis aliis rebus creatis. Ut docet Svaretz
Disp. 1. Met. Sect. 1. num. 10. Quapropter Deus quidem con-
tinetur sub *objecto* hujus scientiæ, ut primum ac præcipu-
um *objectum*, seu primitate perfectionis, non autem ut
adæquatum. *Quidam* *subjectum Metaphysices* statuunt
Substantiam aut *Ens immateriale*, prout in se includit *solum*
Deum & Intelligentias, quæ sententia tribuitur Averroi, &
est affinis priori. Verum hæc sententia vera non est. Nam
supra *substantiam immaterialem*, non solum per se scibi-
lis in communi ratio Entis, sed etiam *substantia simpliciter*,
à materiali & immateriali *Substantia præscindens*, est,
Ubi

Ubi autem agitur de Substantia illa in communi? Non in
Metaphysica, ex cedit enim subjectum Metaph. propositū.
Non in scientia alia superiori, cum nulla superior detur;
Metaphysica enim disciplina universalissima est. Non in
aliqua inferiori. Repugnat quippe inferiores disciplinas
subjecta habere latiora, ipsâ Metaphysicâ. Excluderentur
etiam in Metaphysica omnia illa quæ de Ente in genere
dicuntur, Si verò illa ad primam Philosophiam non perti-
nerent, tum ad nullam aliam scientiam possent reduci.
Patet itaque malè constitutum esse Subjectum Metaphy-
sices, substantiam, aut Ens immateriale, cum substantiæ
simpliciter, ac præcisè tali ut & omnibus ijs, quæ de Ente
dicuntur, non relinquatur locus. *Alii* Subjectum Metaphy-
sices ponunt, *omne intelligibile*, ut indicent, Metaphysicam
debere ad specialissima quæqve progredi, & sic subjectū
Metaphysicæ sit, quicquid sub ullam scientiam cadere po-
test. Et ita tenuit Antonius Mirandul. Nos verò subjectum
hoc rejicimus propter consequens absurdum, sequitur e-
nim inde, omnes aliàs Philosophiæ partes esse Metaphysi-
cæ partes, ac proinde Philosophiam & Metaphys. esse æ-
quipollentia. Quæ omnia pugnant contra communem
modum loquendi à quo cur recedere oporteat, nulla ap-
paret ratio valida. Obstat etiam diversitas in modo proce-
dendi, quæ omnino prohibet, omnes disciplinas in unum
quasi chaos commisceri vel potius confundi. *Alii* subjectū
Metaphysicæ volunt esse *Ens in tota sua latitudine*, ita, ut
non solum *Ens per se*, sed & *entia per accidens*, non solum
Ens reale sed etiam *entia rationis* complectatur. Quod fa-
cit Timplerus *lib. 1. Metaph. cap. 1.* Hæc verò opinio subsi-
stere non potest. Notandum autem discrimen inter *acci-*
dens & *Ens per accidens*. *Accidens*, quod interdum & *Entis*
per accidens nomine venit, est, quod substantiæ opponitur,

ei que ut subiecto inhæret: Specificè & Metaphysicè confi-
derari potest. Siquidem Ens tanquam in suas immediatas
Species in Substantiam & Accidens dividitur. *Ens* verò per
Accidens, quod tale sub scientiam cadere non potest, appel-
latur a. hinc *Ens per Accidens* non in ratione effectus, sed in
ratione *Entis*, id est, non quod ex accidente, seu contingē-
ter, ac citra intentionem agentis, efficitur, sed quod *in se*
verè unum non est, sed quoddam aggregatum ex multis.
Cum itaque hoc *Ens per accidens* non sit unum, sed ag-
gregatio multorum, nec definitionem propriam, nec pas-
siones reales, quæ de illo demonstrantur habere potest, ac
ideò directè non comprehenditur sub objecto unius sci-
entiæ sed plurium, ad quas pertinere possunt *Entia per se*,
ex quibus tale *Ens per accidens*, constat. *Entia vero ratio-
nis* excluduntur à directa huius scientiæ consideratione,
quia non sunt verè entia sed cum Ente reali, non nisi no-
mine conveniunt. Considerantur tamen aliquo modo in
hac scientia, non tamen *per se*, sed propter quandam *propor-
tionalitatem*, quam habent cum entibus realibus & ut ab
eis distingvantur, ac ut melius, ac clarius concipiatur,
quid habeat in Entibus entitatem ac realitatem, quid verò
non habeat, nisi solam speciem eius. Unde magis conside-
rantur hæc rationis *Entia*, ut cognoscantur non esse entia,
quam ut eorum scientia, vel cognitio, acquiratur. Ut lo-
quitur Suarez *Disp. 1. sect. 1. n. 4. & 5.* Porro, subiectum sci-
entiæ debet esse unum. Ab eius enim unitate sumitur sci-
entiæ unitas. *Ens* autem in ordine ad istam rerum farragi-
nem non est unum, sed dicitur de illis æquivocè, vel per
analogiam proportionis, quæ sub æquivocationem redu-
citur. *Æquivocum* autem non est unum quid, sed multa.
Ac proinde, si scientiæ alicuius objectum ad sui subiecta
esset æquivocum, non esset scientia, sed scientiæ. Hinc se-
quitur,

quitur, quod Metaphysica non possit agere de Ente in eâ generalitate, ut sub se comprehendat & Ens reale & rationis & ens per se & per accidens. *Alii* denique subjectum Metaphysicæ faciunt *Ens finitum*, nempe quatenus *excluso Deo in Substantiam & accidens* dividitur. Quæ opinio tribuitur Dominico Flandriensi *r. Metaph. qv. r.* Verùm & hæc opinio falsa, & improbabilis est. Nam Metaphysica considerat *Ens quat.* Ens, non ergò *quat.* illud ad certum modum, vel *finitum*, vel *infinitum* restringitur. Cœterùm Deus quoque est Subjectum aliquo modo naturaliter scibile. In Deo enim *duo* dantur respectu nostri, *γνωσόν* seu *cognoscibile* & *ἀγνωσόν* seu *non cognoscibile*, illud per rectam rationem ex natura; *hoc*, per revelationem ex Scriptura haurimus. Potest itaque Deus sub aliquam scientiam cadere, ut objectum præcipuum. Dignitatem a. hanc Metaphysicæ quis denegabit: Hæc cum sit omnium naturalium scientiarum prima & dignissima. Argumentamur: *Cui primò conveniunt prima, & maximè generales affectiones seu proprietates quæ in hac scientia demonstrantur de Ente, illud sub objecto Metaph. continetur. At affectiones Entis primariè primariò Deo competunt.* Ergo. Vt enim Ens dicitur *unum, Verum, bonum, causa, actus, potentia* &c. Ita hæc in excellentissimo gradu Deo rectè tribuuntur. Metaphysicus quando agit de *actû, potentia, necessitate* &c. tractat naturas analogicè multis communes. Necessè itaque est, ut explicet eas, prout aliter atque aliter in analogatis reperiri nata sunt. Quare, nec naturam *actûs* communem explicare potest, nisi accuratè ostendat, cuiusmodi sit actus in Deo, cuiusmodi in creaturis & quid uterque sit, nec naturam *potentia* communem, nisi ostendat, quid sit potentia independens, quæ dependens &c. Eadem est ratio de cæteris. Vnde etiam de facto ita Metaphysici agunt; Non tantùm enim
expo-

exponunt quid sit *actus*, quid *potentia*, quid *necessitas*, sed etiam quis *actus*, quæ *potentia*, quæ *necessitas* in Deo, quis *actus*, quæ *potentia* in creaturis: Deus itaque à subiecto Metaphysicè non est excludendus. Nos his & aliis opinionibus omnibus rejectis *subjectum* Metaphysicæ *adaquatam*, facimus Ens quat. Ens est, hoc est, rationem essendi ab omnibus particularibus essentijs erutam, atque abstractam inque conceptu ultimo atque universalis spectatam, quod probatur: Objectum habitus æquè latè patet cum habitu, objectum itaque Metaph. non potest esse Ens particulare, sed universalissimum: Cum Metaphysica sit disciplina universalissima, nempe sapientia: Sapientis autem est omnia noscere. Est itaque Ens; hoc enim universalissimū est, quo nec latius nec æquale ullum est. Quod etiam facile patet. *Idem scientia objectum est, cujus affectiones in illa scientia pertractantur. Affectiones autem ex principiis proximis & adequatis promanantes, quæ omnium iudicio hic protractari debent, enti generalissimè accepto quat. Ens est, competunt. Vnum enim Verum, bonum, prædicantur de Deo & creaturis, quat. in genere Entis conveniunt, Ergò. Quod ut luculentius evadat, attendendum, tum ad rem, tum ad modum considerandi. Res considerata est Ens, seu rerum quarumvis natura, seu communis essendi ratio in rebus existentibus animadversa. Atque ita in præsentiper Ens intelligitur, Ens reale, & positivum, quodque non per aggregationem, sed per se unum est Nam Entia rationis, negationes & Entia per accidens, non sunt nisi æquivocè Entia, & infinitum ab Ente distant, quæ autem sub objecto sunt, in communi conceptu convenire debent. Quod prolixè probat Dn. D. Calovius in *Metaph. sua divina p. 247. seqq.* Inde non magis objecti rationem habent, quam si dicam, subjectum Physicæ esse corpus naturale, vel hominem,*

non

non curatis illis, qui sunt picti aut sculpti, aut mortui homines; hi n. non nisi æquivocè sunt homines. Distingvunt hic communiter Ens *participialiter* & *nominaliter* sumptū, sive ut alij *Adjectivè* & *substantivè*. Ente *participialiter* seu *adjectivè* sumpto, *Ens actu*, designant; quia participia actus verborum suorum includunt. Ente verò *nominaliter* sumpto, essentiam ab actuali existentia abstrahentem, quæqve sub se complectatur, non minus Ens potentiale quàm actuale. In posteriori acceptione Ens objectum cōstituunt. Verùm cum essentia non assequatur naturam Entis, donec esse existentia assequatur, & Ens in potentia non sit verè Ens; id enim in se realitatem nullam habet, quam verò habere dicitur in suis causis, ea ens in potentia intrinsecè non constituit. Causæ n. sunt externæ. Et omne quod est, intrinsecè & essentialiter esse suum habet. Unumquodqve etiam propriam habet essentiam per quod est id quod est. Quodnam v. est illud esse proprium, quod Ens in potentia habet? Remove causæ virtutem, Ens in potentiâ quid in sese erit? Quomodo itaqve abstractione præcisivâ formari potest conceptus Entis communis in actu & in potentia? Quomodo sub Ente verè dicto & reali, id quod verè non est Ens, & realitatem in se nullam obtinet, comprehendere potest? ut notat D. Calov. *in Met. Divina cap. 5. pag. 248.* Modus considerandi est *Ens* quat. *Ens est.* Quo significatur, Ens in Metaphysica aliter non considerari, nisi sub abstracta Entis ratione, ac præciso à particularibus conceptu. Constat; omnes disciplinas versari circa Ens, sed alio atqve alio modo. Istud ergò ipsis cum Metaphysica commune est; in hoc verò longissimè à Metaphysica abeunt. Quando dicitur, objectum Metaphysicæ esse Ens quat. *Ens.* Notandum vocabulum Entis, supponi ut Logici loqvuntur *simpliciter*. Quid autem sit *suppositio simplex*, quid *personalis*, ex Logicis notum est. Dico autem Ens *simpliciter* supponi

B

poni

poni, ut enim rectè dicitur; Corpus naturale esse objectū
Physicæ *adaquatam*, nec tamen omne aut aliquod Cor-
pus. Ita rectè quoque adseritur, Ens esse adæquatam obje-
ctum Metaph. nec tamen omne aut aliquod Ens. Quod si
enim omne Ens esset adæquatam ejus objectum, tum etiā
lapis Metaph. objectum constitueret. Quando enim *sim-*
pliciter dicitur, absque signo, *Ens*, ipsa natura Entis in se
spectatur, quā latè illa pateat. At cum signum additur,
quicquid naturam illam ex parte habet intelligitur. Illo
itaque non hoc sensu Ens (*nimirum sine signo*) adæquatam
subjectum esse potest. Rectè itaque dicitur, omne Ens per-
tinere ad Objectum Metaphysicæ, sicut & corpus omne ad
Subjectum Physicæ. Sic considerat Metaphysica Entitatē
in animalī, in homine &c. non tamen quāt. animal cor-
pus naturale est, sed quatenus absolutè Ens est, h. e. essen-
tiam habet, verum est animal perfectum est. &c. Metaphy-
sica itaque considerat tam Entia universalialia, quā parti-
cularialia, verū non sub proprijs eorum rationibus, sed sub
ratione Entis. Particula reduplicativa quatenus hic acci-
pitur non tam secundū reduplicationem, quā præcisi-
onem, sive additur solius explanationis causa, ut tantū
intelligatur, quā consideratione Ens sit objectum Meta-
physicæ, puta non aliter, quā sub illa generali notione
Entis.

QVÆST. II.

*Qualis sit Conceptus Entis ad sua immediatè
quasi inferiora?*

Consideraturi, quomodo Ens se habeat in ordine ad
ea, quæ tanquam inferiora respicit, Substantiam & acci-
dens. Hic monendum, Ens hic non accipi in ea latitudine,
secundū quam illud quoque Ens dici potest, quod licet ni-
hil in re ponat, fundare tamen potest veritatem proposi-
tio-

tionis, quomodo non solum negationem, sed etiam priva-
tionem, Ens vocari videmus. Sed in presentiarum Entis
nomine id tantum venit, quod in se reale est ac positivum.
Et de hoc quaestio est, quomodo se habeat in ordine ad
Substantiam & Accidens, tanquam sua immediate inferi-
ora. Et datur triplex opinio. *Prima* est Scoti *1. sent. d. 3. qv. 1. 3.*
Et ibidem *d. 8. qv. 2.* Et Slevogti *in Dispp. Phil. disp. 3.*
Qui statuunt Ens ad substantiam & Accidens esse univocum.
Notandum quod univocum opponatur *1.* adaequate *aequi-*
voco, quomodo generaliter omne illud dicitur univocum,
quod non est aequivocum. Et hac ratione concedi posset
Ens esse univocum, sed de hac acceptione non est quaestio.
2. Opponitur *paronymo*, significatque specialiter termi-
num, qui essentialiter alicui tribuitur & sic coincidit cum
Synonymo. Sub qua acceptione quaestio posset affirmari.
Verum nec de hac acceptione quaeritur. *3.* opponitur *ana-*
logo (*secundum attributionem intrinsecam*) & specialissime
significat terminum, qui aequè primò (*absq. dependentiâ ab*
invicem) inferioribus competit essentialiter. Et hæc signi-
ficatio hic loci venit in controversiam, an Ens ita respici-
at Substantiam & Accidens. Hoc negatur. Notandum au-
tem quod de univocatione aut analogia non sit judican-
dum ex præciso conceptu, in quo nullum reperitur indici-
um prioritatis & posterioritatis. Hunc enim & univoca
& analogia habent unum. Judicandum igitur de istis, ex
appositione advenientium differentiarum, ut loquitur
Scheibl, *l. 2. Metaph. tit. 3. punct. 5.* sive ex participatione
communis illius conceptus. Atque tunc quod aequè primò
à suis speciebus participatur vocatur univocum. Quod
autem participatur à suis inferioribus inæqualiter (non
secundum diversitatem dignitatis, sed secundum diversita-
tem sive inæqualitatem ordinis) vocatur analogum. Hinc
itaq. Ens non potest esse univocum ad Substantiam & Ac-
cidens.

Eidens. Quia Ens non æqvè primò seu æqualiter utriqve
essentiam suam communicat, sed primò substantiæ, dein-
de accidenti. Accidens quippe est Ens, sed dependenter à
Substantia. Cujus essentia non potest aliter declarari, quã
per inharere vel afficere aliud. Et sic semper supponitur
accidenti aliud, quod jamdum sit, ac habeat esse, quodqve
afficiatur per accidens, & sit tanquam fundamentum &
basis cui innitatur accidens, ut notat Scheibl. l. 2. Met. tit. 2.
punct 3 & s. Secunda opinio est Porphyrii in Isag. cap. de spe-
cie, qui Ens ad Substantiam & accidens *æquivocum* esse dicit.
Notandum verò *æquivocum* bifariam dici. Aliquando e-
nim *æquivocum* *adequatè* aliquando *inadequatè* opponi-
tur *univoco*, prout nempe *analogum* inter ista mediat. Nam
inter *Univocum* & *æquivocum* analogia mediam habet na-
turam. Quam propter vicinitatem solet quandoqve *Uni-
vocum*, quandoqve *æquivocum* dici. *Univocum*, in quantum
unam naturam signat, quod non convenit *æquivoco*. *Æ-
quivocum* autem in quantum æqualiter eandem naturam
non signat, quod *univoco* non cõvenit, ut habet D. Schar-
fius in *instit. Log.* Hinc non incommodè Ens *æquivocum*
dicitur (*æquivocum inquam secundum quid.*) In præsentì ve-
rò quæritur, an Ens sit *merè* *æquivocum*, & *strictè* ita di-
ctum, h. e. *æquivocum absolutè* dictum, ac quod *univoco*
adequatè opponitur. Et negativam defendimus. Nam *æqui-
vocum* est, cujus nomen solum est pluribus commune citra
identitatem essentiæ seu definitionis. Tale autem Ens in
respectu ad substantiam & accidens non est. Accidenti e-
nim non solum nomen Entis convenit, ut scil. dicatur
Ens; Verùm etiam definitio Entis eidem convenit. Defi-
nitio Entis hæc est: *Quod habet essentiam realem.* Jam verò
& Accidens habet essentiam realem. Quod confirmatur
ex optimo ac infallibili signo essentiæ, nempe operatione,
veluti caloris calefacere, indurare, frigoris frigefacere.
Licet

Licet autem hæ affectiones non principaliter sed instru-
mentaliter accidentibus conveniant, nihil obstat, cum in-
strumentalis causa etiam causa sit, ac proinde veram habet
actionem; actio autem indicat essentiam. Adde, quod æ-
quivoca non pariant scientiam, nec prædicata habeant es-
sentialia, in quæ possint dividi, nec de illis certi aliquid
potest prædicari, suam propter indistinctionem. Quæ o-
mnia secus se habent in Ente. Hoc enim gignit scientiam,
præbet prædicata essentialia: resolvitur enim in actum &
potentiam &c. Super accidens etiam multa fiunt enunci-
ata. Palàm ergo est, Ens non esse *equivocum*. Ut docet Ex-
cell, Dn. D. Scharfius *in Theor. Transf. disp. IV.* & Jacobus
Martini *lib. 1. Exerc. 3. pag. 83.* Quicquid itaque hac de re
sit, communis ac vera sententia est: Ens ad *Substantiam &*
accidens sua tanquam immediatè inferiora, nec *univocum*,
nec *equivocum*, sed *analogum* esse. Ubi notandum, nos di-
cere analogiam Enti competere, prout est commune Sub-
stantiæ & accidenti: Nam aliàs ubi ad inferiora descendi-
tur, univocum id esse nihil vetat. Licet itaq; Ens sit analo-
gum ad immediatè inferiora est tamen univocum respe-
ctu aliquorum, quæ sub eodem genere, vel specie conti-
nentur, ut de duobus hominibus vel de homine & equo, vel
de duobus coloribus, vel de aliis accidentibus & qualitati-
bus. Nec etiam quisquam sibi persuadeat, quòd secundò
prius & posterius dicitur de hoc vel illo, id eadem ratione
omnibus illicò, quæ sub istis continentur, convenire. Nec
inæqualitas, quæ in inferioribus est, analogiam facit, in i-
psâ communi naturâ, de qua hic tantùm quæstio est. Ens
autem ad Substantiam & accidens analogon esse probatur.
Quia accidens esse suum habet à Substantia, necessariò i-
taque Entitas Excellentiori gradu est in Substantia quàm
accidente. Consequentia probatur: Nam quod est fons
essentiæ, ac quod alterum facit esse, cum ipsum per se sit;

Aliud magis ens sit oportet, quam quod ex illo derivatur. Deinde, si Substantia esse potest, nullo existente accidente, nec tamen contra accidens sine substantia, utique magis Substantia est Ens quam accidens. Coeterum duplex datur analogia, *Proportionis & Attributionis*. Analogia *Proportionis* est, quæ consistit in solâ ac nudâ proportionem seu similitudine ac solâ communitate nominis, citrà communitatem in essentia, ac definitione & semper aliquid Metaphoræ seu improprietas involvit, quomodo os dicitur de ore animalis, & de radice plantæ. Juxta hunc sensum, Ens etiam ad Ens reale & rationis analogum est. Dixi autem in sola ac nuda similitudine & proportionem: nam & analogum per attributionem proportionem aliquam fundare potest, (*veluti, sicut se habet Substantia ad suum esse, ita etiam accidens se habet ad suum esse,*) analogum verò per *attributionem*, opponitur analogo per *proportionem*. Quæ oppositio salvatur, si dicatur analogiam *proportionis* in sola proportionem consistere; analogiam verò *attributionis* præter proportionem aliquid amplius, & peculiariter habere, quod etiam mox patebit. Ut docet Scheibl. *lib. 2. cap. 1. art. 3. punct. 4.* Ac juxtâ illam analogiam, nim. *proportionis*, quæ in sola ac nuda similitudine consistit, Ens non est analogum ad sua immediatè quasi inferiora. Non quod à nobis proportio illa non possit considerari, quod, sicut substantia se habet ad suum esse, ita etiam accidens ad suum esse se habet; Sicut enim revera in re est proportio, ita etiam à nobis considerari potest. Sed quod accidens nec sit, nec denominetur Ens, propter hanc proportionem, sed propter *intrinsecum* esse, per quod in ordine Entium constituitur; ut notat Svaretz *disp. 22. sect. 2. pag. 26.* Item Scharf. *in Theor. transf. disp. 4. th. 1. pag. 184.* Postremò *analogia attributionis* est, quando nomen est commune, ratio v. secundum illud nomen, secundum terminum est eadem; diver-

diversa; secundum habitudines ad illum. Quæ duplex est
vel attributionis extrinsecæ, vel intrinsecæ. Analogia attri-
butionis extrinsecæ est, quando forma denominans, intrin-
secè in uno tantum extremo reperitur; reliquis verò per
extrinsecam tantum denominationem tribuitur, sub habi-
tudine, ac respectu ad istud unum. Sic homo dicitur sanus
per intrinsecè sibi inhærentem sanitatem: urina verò sana
dicitur, in quantum respicit sanitatem hominis. Analo-
gia v. attributionis intrinsecæ est, quando forma denomi-
nans reperitur intrinsecè in omnibus analogatis, & analo-
gata habent unum conceptum (quod in analogia attribu-
tionis extrinsecæ & proportionis non fit:) ita tamen ut eum in-
æqualiter, ac dependenter (ab invicem) participant. Non
intelligitur autem hic inæqualitas dignitatis, quasi semper
sit analogia attributionis intrinsecæ, ubi inferiora inæqua-
lem dignitatem habent, sic enim animal non esset univo-
cum ad hominem & brutum: sed inæqualitas ordinis; ut
scilicet unum ex inferioribus istum conceptum participet pri-
mò, ac absolutè: aliud verò secundariò per dependentiam &
habitudinem ad prius. Atque hoc modo Ens ad sua imme-
diatè quasi inferiora nimirum substantiam & accidens ana-
logum dicitur, analogiâ nempe attributionis per intrinsecâ
denominationem. Ens enim inferioribus suis secundum
unam & eandem definitionem, convenit. Nam & accidens
habet essentiam, & Substantia habet essentiam. Hanc au-
tem definitionem, inæqualiter participant, nam Substan-
tia primariò est Ens, accidens secundariò. Substantia absolu-
tè est Ens, accidens per attributionem, habitudinem, & de-
pendentiam ad Substantiam: quia accidens supponit sub-
stantiam in qua esse suum fundatum habet. Licet autem
accidentia non sint tam perfecta Entia, quam substantia,
verè tamen formaliter, ac internè naturam Entis habent.
Substantia est productiva alicujus operationis, accidens
est,

est productivum alicujus operationis. Substantia non implicat repugnantiam: accidens non implicat repugnantiam, quæ tamen talis est, ut tota consistat in quadam habitudine ad Substantiã. Ac proinde accidens nõ est ens per *extrinsecam* denominationem à substantia; sed per *intrinsecam* Entitatem, secundum quam suum proprium esse habet. Est enim aperta repugnantia, aliquid esse Ens reale per *extrinsecam* denominationem. Nam sola denominatio *extrinseca*, nihil rei ponit in re denominata, ut docet Svarez disp. 32. sect. 2.

QVÆST. III.

An Ens habeat affectiones, quales, & quot sint?

Probaturi Ens quatenus Ens est habere affectiones. Hic monendum, *aliud* esse affectiones *in rigore scientifico*, quæ more accidentium sunt in subjecto, ita ut à subjecto realiter distinguantur. Quarum requisita Svarez. ponit *quatuor* 1. ut sint aliqua res, 2. ut distinguantur aliquo modo ex natura rei ab illo, cujus sunt proprietates. 3. ut adæquatè illi conveniant, seu cum illo convertantur. 4. ut id cujus sunt proprietates, non sit de *intrinseca* ratione; ac *aliud* esse affectiones *latè* sumptas, quæ à nobis per modum passionis concipiuntur & explicantur, sine reali ab Ente distinctione, quæque, quia omnes affectionum in rigore sumptarum conditiones, ad eas accommodari non possunt, κατ' ἀ-
ναλογία affectiones dicuntur, ad quas *tria* requiruntur. 1. *Distinctio*, ut affectio formaliter non sit idem. 2. *Denominatio*, ut rem denominet, ceu aliquid re posterius, ac consequens rei. 3. *Reciprocatio*, ut ratione suppositi cum subjecto retrocurrat. *Illas* Enti quatenus Ens est denegamus, *has* non item. Ens autem quatenus tale, habere affectiones,

nes, quæ de ipso per se prædicentur, ipsiq̄ve à posteriori cõ-
veniant, certũ est. Est enim objectum alicujus disciplinae,
jam v. objecta disciplinarum certis stipata sint affectioni-
bus oportet, quod etiam arguit Javellus lib. 4. Met. qv. 2.
& Aristot. 3. Met. cap. 1. *Est quædam scientia, quæ speculatur
Ens quæ. Ens est, ei quæ & per se in sunt;* Jam quid aliud
Philosophus intendit, per τὸ inesse per se, quam affectio-
nes? Quippe, quæ vi nominis certum subjectum requirunt,
quod aspiciant. Et lib. IV. Met. textus, dum dicit: *Sicut
numerus quatenus numerus habet affectiones, veluti paritatẽ
& imparitatem, ita & Ens quatenus Ens habet affectiones.*
Probari etiã potest inductione DEI & Creaturarum. In
Deum cadunt attributa, est unus, verus, bonus, justus, sa-
piens &c. & creaturas ipsas. E. & Ens, quod inferioribus est
commune, affectiones habebit. Fonseca ait, lib. IV. Met.
cap. 2. quæst. 5. sect. 2. *Quemadmodum cetera Entium genera,
quatenus talia, habent affectiones proprias, quæ in scientiis
particularibus demonstrantur: ita & Ens quatenus Ens pro-
prias habere debet affectiones, in quibus curædis, ac demon-
strandis prima Philophosi cura demonstratur.* Dixi autem qua-
tenus Ens est. Nam in quantum tale vel tale, benè potest
habere passiones reales, ex natura rei distinctas, quia tale
Ens ut sic, potest esse extra essentiam alterius, & per con-
sequens extra essentiam suæ passionis. Ens autem in quan-
tum Ens non potest esse extra essentiam alicujus Entis ac
ideò nulla proprietas, vel passio realis esse potest, quin in
eâ essentialiter includatur Ens, ut notat Suarez Disp. III.
sect. 1, pag. 66. seqq. Porro quales sint Affectiones Entis,
an sint reales, positivæ, & propria, quaritur? Javell. lib. 1.
Met. c. 2. qv. 3. laboriosò maximè est in demonstrando, Ens ha-
bere quidẽ veras passiones demonstrabiles, sed nõ veras pas-
siones reales, quia scil. ex natura rei ab ipso non differant.

C

Verum

Verum nimis vilis est hæc consequentia. Quod si enim Javellus veras ac reales passiones in Ente negat, negabit etiam veras ac reales proprietates in Deo, quandoquidem nec illæ *ex natura rei*, sive *realiter* differunt, sed quicquid sunt, ipse Deus est, & sic absurdi erit accusandus. Hinc optime disputat Suarez Disp. 3. sect. 1. num. 6. *Fieri potest, ut Entis attributa sint realia, licet non re, sed ratione distingvantur: & ratio est clara, quia distinctio rationis, quæ oritur ex præcisione intellectus, non est per conceptionem alicujus fictæ entitatis, quæ non sit in re, sed per modum solum inadæquatam concipiendi, esse reale, quamvis modus attributionis sit solum per rationem.* Sed missis his, veram sententiam tuemur, & dicimus, esse reales, positivas, & proprias passiones. Distinguendum autem ante omnia. Inter affectiones consideratas *fundamentaliter*, seu *concretivè*, ac *connotativè*, quæ connotant ipsam essentiam Entis, quam intimè imbibunt, ac fundamenti loco ponunt. Et inter affectiones *precisè*, *formaliter*, & *in abstracto* spectatas. Inter reale, *strictissime* sumptum, pro ipso ente reali, & inter reale, ut opponitur *fictæ* & *enti rationis*, strictè ita nominato. Inter positivum, sumptum, pro eo, quod est entitas & res peculiaris; & sumptum pro omni eo, quod purè negativo opponitur. Si affectiones Entis quæ, Ens est sumantur *fundamentaliter* & *connotativè*, utique sunt reales, ac *positivæ*, cum realitatem suam habeant ex entis essentiâ, quam illæ *intrinsicè* implicent, & sic ipsam Entis essentiam connotant, ab eâque novam ac peculiarem entitatem non habeant. Si verò affectiones, *formaliter*, ac *precisè*, considerentur, dici possunt reales, non in priore significatione, nihil quippe realitatis enti super-addunt, sed in posteriori, cum non sint *fictæ*, aut *pure rationis* entia; alias enim veri entis affectiones dici non possent. Eodem modo etiam possunt dici *positivæ*, quatenus nimirum *positivum* opponitur *negati-*

vo,

vo, quod *negat*, vel *tollit* essentiam. Si enim hâc ratione non essent positivæ, essent nihil. Sunt etiam *propria*, quatenus non sunt *metaphorica* aut *aliena*. Sin verò *proprium* sumatur, pro *accidente proprio*, rectius dicuntur *analogica* quam *propria*; aliàs enim à subjecto suo nim. ente, differrent realiter. Scotistæ quidem, urgent distinctionem ex natura rei, quam faciunt *duplicem*, *realem* & *formalem*. *Realem* ipsi vocant, distinctionem rei à re, seu inter duas res, quarum neutra per identitatem est alia. *Distinctionem* verò ex natura rei *formalem* dicunt inter ea esse, quæ sunt idem realiter, seu una res, habent tamen distinctas definitiones. Hinc si per distinctionem ex natura rei intelligant distinctionem *realem*, negamus affectiones ab ente, quat. tale, distingui ex natura rei. Nam si ab ente quatenus ens est, affectiones differrent realiter, utique ut res & res differrent; distinctio enim realis diversa requirit entia: Et sic affectiones haberent peculiarem entitatem, quæ suis rursus, quia entia, stipatæ essent affectionibus, atque inde progressus in infinitum oriretur, quod falsum. Imò hac ratione in ente ut sic, fieret compositio, siquidē illud, in quo multa sunt secundum rem distincta, aut quod ex pluribus ex natura rei, hoc est realiter distinctis constat, illud non est simplex, quod hâc ratione enti simpliciter simplici, non posset attribui. Sin verò per distinctionem ex natura rei intelligant distinctionem *formalem*, quæ est inter ea, quæ habent distinctas rationes formales objectivas, seu distinctos conceptus objectivos, ita ut unum nō includat aliud in ratione sua formali, tum concedi potest, affectiones ab Ente ut sic, distingui ex natura rei, h. e. *formaliter*, seu ratione, non ratiocinante, sed ratiocinatâ. Rationes, pro stabilienda nostra sententia, sint hæc. Nam nec subjectum includit, in sua distinctione, ac propria ratione passionem, nec passio in sua includit ratione forma-



si propria, subjectum, licet per illud definiatur; quia non definitur per id, tanquam per aliquid sibi *intrinsicum*, sed tanquam per *additamentum*, cum nec subjectum prædicetur de propria passione, nec passio de subjecto in primo modo dicendi per se. Quia essentialiter ipsum ens includunt. Ita entitatem indivisam, *unitas*: eandem essentialitatem dicit *veritas*, sed sub alio atque alio statu: nimirum entitatem, intellectui conformem. Nec etiam possunt sine ente concipi. Hinc diversitatem ab ente realem non habent. Nam si concederetur, diversitas affectionum ab ente realis, hæc diversitas realis fieret, vel fieri posset conceptus peculiaris objectivus, atque sic sine ente intellectui objicerentur. Cæterum affectiones Entis non superaddunt enti aliquid reale, vel modum quendam positivum, ab ente realiter diversum, seu novam peculiarem entitatem. Contra Avicennam qui lib. III. Met. cap. 7. dicit: Affectiones enti superaddere *positivum quid*, ab ente *ex natura rei* distinctam. Verum in præcedentibus jam refutatus est. Nam hæc ratio nec progressus in infinitum, nec compositio in ente, quod absurdum, evitaretur. Dicimus itaque affectiones, enti addere, vel *negationem*, vel *respectum* quendam *rationis*, seu *denominationem*, sumptam per *habitudinem* ad aliquid *extrinsicum*: ita tamen, ut per ea, *perfectio* entis realis *positiva*, explicetur: non per aliquod reale, ipsi enti superadditum, sed secundum ipsammet essentialem entis rationem. Vbi notandum, *aliud* quandoque esse in hujusmodi attributis, quod per illa *formaliter* significatur; ac aliud, quod à nobis explicari intenditur. Nam sæpe quod *formaliter* significatur, est *negativum*: per illud tamen à nobis *positiva*, *realisq;* *perfectio* explicatur. Sic ex. gr. Unum *formaliter* dicit *negationem*: per illud tamen nihilominus *perfectio* rei *realis*, ac *positiva* à nobis explicatur. De numero affectionum

num

num unitarum simplicium variè varii autores Metaphy-
fici discordant. Arabes, quos etiam sequitur Thomas, fa-
ciunt *quinque* affectiones: *Vnum, Verum, Bonum, Res, &
Aliquid.* Verùm hæc sententia non placet. Cum Ens &
Res juxta communem modum loquendi sint synonyma.
Nihil enim implicat res, quod non implicatur in ente;
Volunt quidem ens à re distingvi in eo, quòd res *precisè* es-
sentiam, Ens verò essentiam, *unâ cum existentia*, dicat.
Verùm & res notat id, quod existit, & ens *precisè*, pro eo
quod saltem esse potest, nondum tamen existit, accipi pot-
est. Res vel derivatur ex participio *ratus, a, um*, verbi
reor, ac notat id, quod firmam ac realem entitatem habet,
seu ens reale. Vel derivatur ex præsentis tempore verbi præ-
dicti, ut res sit, de quo *veri*, vel *opinari*, sive *concupere* ali-
quid possumus; hoc modo tribuitur etiã entibus rationis.
Quod autem res & ens sint synonyma, patet, quia & juxta
ipsum res significat essentiam, ac quidditatem entis, quare,
prædicatum quidditativum erit, non affectio. Res nun-
quam prædicatur de ente, & si prædicetur, pro negatio-
ne, *seu* identicâ prædicatione habetur. Omnis verò pas-
sio, de eo cujus est passio, prædicatur, illique ut adjectivũ
substantivo adjungitur, sic dicitur Ens *unum*, ens *Verum*,
ens *bonum*. Ens autem & res substantiva sunt, nec pos-
sunt eo modo conjungi; Sed res de ente quidditative seu
in quid prædicatur. Quamobrem, res affectio entis esse
non potest, idem dicendum de voce aliquid. Vocis ali-
quid *duplex* datur derivatio. Quidam docent *Aliquid* dici
quasi *aliud quid*, & significare, divisionem ab alio. Etsi
vel maximè concedatur etymologia hæc: nondum ta-
men inde peculiaris affectio evincitur: putant quidem
quemadmodum unum dicit indivisionem, ita aliquid di-
visionem seu ens divisum ab alio notare, esseque affectio-
nem entis, ut *unum*. Verùm non rectè ita docent. Sed hoc



sensu, negatio illa quæ in voce *aliquid* importatur, in *uno*,
tanquam consequens includitur: Unum enim est, quod in
se est indivisum, & divisum à quolibet alio, ac ideò vox
aliquid non auget numerum affectionum, ut de illo ali-
quid specialiter tractare oporteat, sed explicatâ unius ra-
tione, explicatum manet hoc prædicatum *aliquid*. Nec
etiam ulla est consequentia; *aliquid* dicitur quasi *aliud*
quid, ergo idem quod *aliud quid* significat. Nam, ut ha-
bet Thomas part. 1. qu. 13. art. 2. *Sapè aliud est, id quod*
pro vocem significatur, aliud id à quo deducitur, seu unde im-
ponitur, nec semper vox id significat, à quo deducta. Sicut la-
pideri dictum volunt à lesione pedis, nec tamen lapis pedis si-
gnificat lesionem, hâc ratione enim omne ladens pedem esset
lapis, sed significat substantiam quandam, corpoream, mixtam
&c. Quare non est necessum, *aliquid*, idem quod *aliud*
quid significare. Nam auditâ voce *aliquid*, nihil de di-
versitate, aut de distinctione unius ab alio, sed rem, quæ
non est omninò nihil, quæque habet essentiam aliquam,
concepimus. Dicimus itaque vocem *aliquid* notare id,
quod habet aliquam quidditatem. In qua significatione
ei *contradictoriè* seu *privativè* nihil opponi censetur. *Ni-*
hil autem idem quod *non Ens* significat, vel nō habens ul-
lam entitatem. Ergo & *aliquid* idem erit cum ente. In
quâ significatione *aliquid* non esse *passionem*, sed *synony-*
mu entis constat. Timplerus lib. 1. Met. c. 4. facit *Exi-*
stentiam entis affectionem. Verum malè, cum *existen-*
tia prout dicit actualem essentiam sit *Synonymum* entis,
nimirum actualis: *Existentia* etenim *intrinsecam* ac *for-*
malem entis *rationem* notat. Formalis autem ratio entis
est actualis essentia. *Existentia* verò nullum alium enti
exprimit conceptum, quàm actualis essentia. *Existentia*
etiam

etiam ens non afficit extraessentialiter. Natura verò affectionum hæc est, ut Ens extraessentialiter denominent. Porro, cū existentia sit *transcendens*, extendit enim sese tam ad *substantiam* quàm *accidens*, erit itaque vel *affectio* vel *Synonymum* entis. Sed est *Synonymum* Entis, ergo non est *affectio*. Nos generales Entis affectiones unitas juxta Eruditos quamplurimos, facimus: *Unitatem, Veritatem, Bonitatem*. Quem numerum probamus, ex definitione affectionum unitarum. Tot enim concedendæ sunt affectiones entis unitæ, quot dantur prædicata ab ente quatenus ens est, formaliter diversa, idem adæquatè & reciprocè denominantia. Tria autem sunt prædicata, ab ente quatenus ens est, formaliter diversa, idem adæquatè & reciprocè denominantia, seu modificantia. E. Supra probavimus affectiones ab ente *formaliter* saltem differre. Quod verò hæ affectiones ens denominent, patet. Nam omne ens est *unum, verum, bonum*, & contra, quicquid est *unum, verum, bonum*, est ens. Hæ affectiones enti etiam aliquid superaddunt, videlicet unitas, *negationem* divisionis: Veritas, *convenientiam*, sive *respectum* ad intellectum: bonitas, *habitudinem*, seu *convenientiam* cum Voluntate.

QVÆSTIO IV.

Quodnam sit principium individuationis ?

Ventilaturi principium, hoc est proximum fundamentum, & causam individuationis. Monendum nobis *potissimum* quæstionem esse, de principio individuationis, substantiarum *materialium*; hæ enim nobis sunt notiores, de illis itaq; dicemus prius, post facile constabit, de principio individuationis substantiarum *simplicium*.

plicium. Cùm principium etiam duplex, sit, *internum & exter-*
num. Sermonem esse de principio *interno*, quod duplex est, vel *Phy-*
sicum vel *Metaphysicum.* Principia interna *Physica* sunt, *Materia &*
Forma; Principia verò interna *Metaphysica*, sunt *Genus & Species.*
Illa, non hæc inquirimus. *Quidam* itaq; principium individuatio-
nis *accidens*, non unum, sed multa simul sumpta, statuunt. Quæ
sententia Porphyrio in *Isag. cap. de Specie*; Vbi ait: *Idcirco dicitur*
aliquid individuum, quod ex iis proprietatibus constat, quarum colle-
ctio in alio esse non potest. Et Boëtio in eodem libro cap. de *Specie*
& *Differentia*, ubi ait: *Plures sunt, de quibus species prædicantur, nõ*
substantiæ diversitate, sed accidentium multitudine, à Fonseca tribui-
tur. Verùm enim verò negamus, principium, seu proximum funda-
mentum individuationis esse *accidentia*; sive *sigillatim*, ac *per se*, sive
alia cum aliis conjuncta. Ratio. Quia accidentia non possunt esse
principium ullius substantiæ. E. nec individui substantialis, v. g.
Socratis, qui est Substantia, species enim & individuum speciei ad
idem prædicamentum pertinent. Si accidentia essent principia
interna substantiæ, aut sola accidentia essent principia *interna* sub-
stantiæ, aut partim accidentia, partim substantiæ. Non sola, quia
ex meris accidentibus, non nisi accidens fit: nec etiam partim
substantiæ, partim accidentia, nam hæc ratione substantia fieret
ens per accidens, quia constat ex Substantia & accidente. Porrò,
si accidentia constituerent individua, ut sint individua, sequeretur
inde, accidentia esse individuis priora, quod absurdum. Nam ac-
cidentia rem *constitutam* sequuntur; quare sunt posteriora. Tandem
accidentia potius supponunt, consequunturq; singularitatem,
quàm quod eam constituent. Vt docet D. Jac. Mart. in *Exerc. Met.*
Exerc. IX. theor. 5. *Quidam* ad existentiam rei singularis, tanquam ad
ultimum rei actum & complementum confugiunt, statuentes, per
eam naturas communes fieri singulares, quam sententiam Fonse-
ca Lib. V. *Met. cap. 6. qu. II. sect. I.* tribuit Bonero. Verum hæc senten-
tia rejicitur, ob sequentes Philosophorum rationes. Quia existen-
tia non constituit individuum: Illud autem quod principium est
individui, individuum constituere debet; Sed *quatenus est distin-*
cta & singularis, simul cum individuo à *forma specifica* constituitur.
Nam

Nam quando datur individuum, tum etiam datur actus existentia singularis. Ut docet Jac. Mart. lib. 1. Part. Met. quæst. II. pag. 188. Cæterum Existencia *contingenter* convenit Individuo, omnes enim res infra Deum possunt non existere, & sic *contingenter* existunt, id verò quod *contingenter* individuo competere, principium individuationis esse non potest; aliàs enim singularia essent *contingenter* singularia, ut docet Fonseca V. *Metaph. cap. 6. qu. 2. sect. 1.* Quidam Volunt Individuum ex se esse *τὸ δὲ ἴ*, removendo *efficiens*, Cujus sententiæ dicitur esse Durandus. Verùm hæc sententia refellitur inde, quia nihil est Causa sui ipsius *constituens*: esset enim *constituens & constitutum*: Plato idem quoq; esset cum eo, per quod Plato constituitur. Porro si homo à se esset singularis nullatenus posset fieri universale, quod absurdum. Quemadmodum Socrates, quia est *per se* animal, ac disciplinæ capax, nullâ ratione fieri potest, ut non sit animal, aut disciplinæ capax. Quidam Principium individuationis faciunt *solam materiam signatam*, quæ sententia est Thomæ parte 1. qu. 3. art. 3. & qu. 5. art. 4. Per *materiam* verò *signatam* intelligit, materiam sub certa quantitate, seu certis dimensionibus consideratam. Verùm hæc sententia facilè refutatur. Nā nec materia *ut sic*, sola, est principium individuationis. Quia, si *sola materia* esset principium essentiæ *singularis*, esset etiam sola principium essentiæ *simpliciter*, quod absurdum. Singularitas enim ad naturam nihil reale addit, (sicut & *unitas*, cujus species est *singularitas*.) Deinde, materia *quatenus* talis, ut rectè docet Aristoteles differre non facit lib. 9. *Metaph. cap. 9.* quia *ex se* indifferens est, ac pluribus communis, inò in omnibus est eadem, indifferens verò differentiæ alicujus causa esse non potest. Quod quid non habet, alteri dare non potest: Materia autem *ut sic*, communis est pluribus, singularitatemq; non habet, quare principium individuationis *sola* esse non potest. Nec materia cum *quantitate* conjuncta principium individuationis esse potest: Superius demonstravimus, *accidens* principium individuationis non esse, ergo nec *Quantitas*. Materiam v. quantitate affectam, principium individuationis non esse, probatur inde. Quia materia *ut quanta*, est *ens per accidens*: *Ens* verò *per accidens* individui substantialis principi-

D

um



non esse non potest; quia *intrinsecè* includit accidens, quod verò in se *intrinsecè* accidens includit, individui substantialis principium *intrinsecum* esse non potest; quia scil. accidens nõ potest esse principium *intrinsecum* substantiæ. E. nec id quod accidens *intrinsecè* includit. Vt monet Stahlius in Instit. Met. pag. 293. Porro si materia quantitate affecta corpus individuaret, tum singulare *seu* individuum *quatenus* tale, ens per accidens esset; quæ enim diversorum sunt prædicamentorum, Ens per se facere non possunt, materia autem & quantitas sunt diversorum prædicamentorum. E. Absurdum verò Socratem esse Ens per accidens, cum Individua *per se* sint in prædicamentis. Dicimus itaq; Principium Individuationis *adequatum* Substantiarum *materialium* esse formam communicatam Materiæ. Quam sententiam probamus. *Quæ sunt principia essentiae, ut sic, illa etiam sunt principia essentiae singularis ac individua.* Atqui principia essentiae *ut sic, in Corporibus, sunt Materia & forma.* E. Forma cum Materia sũt principia Essentiae individua & singularis. Sic, quia Petri, ut Petrus est, principia sunt *materia & forma.* Ergo etiã *materia & Forma* Petri, sunt principia individuationis Petri. Comparando autem inter se *materiam & Formam*, præcipuum ac principale principium est *forma*, non tantum respectu naturæ specificæ, sumptâ formâ in specie: sed etiam respectu hujus individui, sumptâ formâ individua. Vt enim *forma* est præcipuum principium essendi, ita etiam est præcipuum hanc substantiam ab alijs distinguendi, principium, Forma Specifica dat esse rei. E. etiam esse individuificum. Non tamen id præstat *sola forma*, sine alio *subsidio*, ac *adjumento*; verum *sociam ac adiutricem* adsciscit *materiam*. Forma quidem est principalis causa individuationis: materia verò est causa sive *conditio sine qua non*. Vt loquitur Jac. Mart. in Exerc. Met. Exerc. 9, th. 8. Atq; ita cõstituũtur individua in materialib9. Paucis aliquid dicendum de principio individuationis substantiarum *simplicium*, Spiritus Creati, materiæ, formæ, item accidentium. Dicimus itaq; Entia *simplicia* nulla principia individuationis *interna* habere: eo ipso enim quod entitates simplices sunt, principiis *internis* Physicis carent, sed ut per simplicem essentiam in esse cõstituuntur: ita etiam per eandem simplicem essentiam individuiificantur. In specie tamen aliquid de formæ, materiæ, & accidentium

tium

tiū individuatione dicemus. Formas non individuari per *accidētia*, probari potest iisdem rationibus, quas supra attulimus. Nam nulla *accidentia* possunt esse *intrinsicā* formam substantialem individuantiā principia, quia talis quoq; forma, ut est hæc, est *ens per se*, licet incompletum, pertinetq; ad prædicamentum Substantiæ. Item *accidentia* sunt naturā posteriora substantiā, & per consequens etiam *accidentia* talia erunt posteriora. Nec etiam per *materiam* individuatur: Quia *materia* non est *intrinsicum* entitatis ejus principium, quod verò non est principium *entitatis*, non potest esse principium *unitatis*, cum principium *entitatis*, sit etiam principium *unitatis*. Ut monet Suarez disp. V. Met. sect. 6. num. 5. Deinde, sublatā materia non tollitur singularitas formæ, ut apparet in anima separata, hæc enim non est aliud individuum extra unionem, quam fuit in unione. Et proinde singularitatem servat suam; sublatō verò principio individui, aufertur & ipsum individuum. Est igitur forma substantialis v. gr. Petri, Pauli, singularis, per propriam suam essentiam. Est enim res simplex. Sicut itaq; non habet essentiam per aliud, ita nec unitatem. Eodem modo quo de forma, de materia philosophandum singulari, quæ non individuatur, per formam substantialem: Quod enim non est fundamentum *entitatis*, illud etiam fundamentum *unitatis* esse non potest. Cum, ut supra diximus fundamentum *unitatis*, non distingvatur à fundamento *entitatis*. Jam verò materia est *entitas per se*, E. etiam *unitas per se*, & non à forma specifica. Porro, variatā formā substantiali, semper manet eadem numero materia, sicut viventis & mortui forma diversa, materia eadem. Nec *quantitas*, est fundamentum hujus individue unitatis materiæ, quia materia est prius naturā, quàm recipit quantitatem, subest actioni agentis, inducentis *formam*, vel *quantitatem*, non verò subest, nisi individua & singularis, cum actiones sint circa singularia. *Accidens* etiā præsupponit subiectum suum quod est in re, & per consequens singulare. Individuatur itaq; materia per *essentiam* suam *simplicem*, absque ullo *extrinseco* superaddito. Deniq; de principio individuationis *accidentium* aliquid dicendum restat. Vbi quidam volunt *accidentia* individuari per *subiectum*. Ut docet Thomas part. I. qu. 29. art. I. Vbi monendum, nobis sermonem esse de individuationis

onis

onis principio, in ordine ad esse, & ad propriam rei constitutionem.
secundum se. Et sic dicimus principium individuationis acciden-
tium ex proprijs suis entitatibus esse petendum, non autem ex
subjecto. Vnaquaque enim res per quod est ens actu in rerum na-
tura, sive est aptum, ut sit hujus modi, per illud idem formaliter,
& intrinsecè est una numero. Jam autem omnis res intrinsecè & for-
maliter est hujusmodi ens actu, per suam entitatem. Quare, & per
suam entitatem erit una numero, seu singularis. Quod inde etiam
confirmatur, quia *subjectum* non potest esse principium intrinsecè
accidentia individuans; cum *subjectum* non possit dici, principium
intrinsecum individuationis accidentis, tanquam intrinsecè ac
per se componens accidentia. (Loquimur non de toto composito
ex Subjecto & accidente, sed de ipsa accidentali forma.) Ut docet
Suarez disp. 5. Met. sect. 7. n. 3. Constat igitur formas accidentis,
non componi ex Subjecto intrinsecè. E. nec Subjectum potest esse
principium formæ accidentalis individuans. Et probavimus eti-
am supra, formam non posse individuari per materiam, quæ ad for-
mam, ut subjectum comparatur, sicut & accidentia ad substanti-
as, ut ad subjectum comparantur: Vnde quod dictum est, de for-
mis substantialibus, proportionaliter etiam intelligi potest de acci-
dentibus. Monet tamen Suarez disp. 5. Met. sect. 6. n. 7. & Jacobus
Mart. in Part. Metaph. Lib. 1. sect. 4. quæst. 13. Si loquamur de princi-
pio individuationis in ordine ad productionem, quatenus agens ad di-
stinctum individuum producendum determinatur, vel ad efficiendum
unum potius quàm aliud, ac consequenter, in ordine ad nostram cog-
nitionem, quatenus sensibiliter (ut sic dicam) distinguere possumus unum
ab alio. Hæc consideratione, dici possunt accidentia individuationem su-
mere ex Subjecto, tanquam ex radice, vel potius occasione mul-
tiplicandi & distinguendi.

SOLI DEO GLORIA.



Ung. VI 59

ULB Halle 3
004 186 672



f


56.

VD 17.

Juni 2000 M,







Q. B. V. D.
QVÆSTIONUM METAPHYSICARUM

Qvaternio.

Quem
In Illustri ad Albim Academia
Sub

PRÆSIDIO

Præclarissimi atq; Excellentissimi

DN. M. CHRISTIANI TRENTSCHII,

Logicæ & Metaphysicæ Profess. Publ. longè Cele-
berrimi, Domini Præceptoris, Patroni ac Pro-
motoris omni Observantiæ Cultu
æviternum prosequendi.

Publicæ ac placidæ Eruditorum disquisitioni
exponit,

ABRAHAMUS PINNERIUS, Novisol. Hungarus.

A. & R.

Ad diem XVII. Aprilis

In Auditorio Majori.

TYPIS JOHANNIS HAKEN, Anno clō Idc LVIII.

35

h. E. 2043

